



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1619

Cap. XVIII. De his qui legi subijciuntur ac obligantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

vñ illius medium virtutis religionis pro tali tempore, quia pro illo facit talem actum esse necessarium ad honestatem illius virtutis, quod non fit, nisi imponendo obligationem talis actus pro tali tempore.

8. Ad quæ effectum legis pertinet formam in humanis actionibus...

Tertius effectus erat formam in humanis actionibus ponere, scilicet, vt fiant tali, vel tali modo, sub quo comprehendimus irritationem cōtractuum, & inhabitationem personarum, vel ad illos simpliciter, vel ad illos tali, aut tali modo faciendos, vel ad talia munera, &c. De quo effectu generatim dici potest sub præcepto comprehendere, quatenus lex dat formam actibus, & sub prohibitione, quatenus illos irritat. Sed hoc posterius habet difficultatē, quia ad irritandum nō sufficit prohibitio, etiam directā, vt suo loco dicitur; ergo irritatio dicit specialem effectum à prohibitione distinctum. Nam prohibitio, vt sic, non tollit absolutam potestatem faciendi actum, sed facit, ne liceat: at irritatio priuat potestatem faciendi valide actum; est ergo effectus distinctus. Et ideo addi potest, irritationem esse quidem distinctum effectum à prohibitione; semper tamen adiungi prohibitioni, & habere rationem pœnæ, vel eiusdem prohibitionis violatæ, vel alterius culpæ. Verumtamen licet hæc irritationes, vel inhabitationes sepe inferantur per leges in pœnam, per se tamen non ita est: nam inhabilitatio sacerdotis ad matrimonium non est pœna, nec irritatio matrimonij sine parcho, & testibus, & similia. Dicit aliter potest, hunc effectum esse specialem, & distinctum ab illis quatuor; tamen esse specialem legis humanæ, & ideo non assignari. Sed hoc non satis facit: tum quia, qui distinguunt, & numerant illos quatuor effectus, præcipue loquuntur de lege humana: tum etiam quia fortè assumptum non est verum, & non est parum controuersum, an lex naturalis, vel diuina interdum irritet actus, vel inhabilitet personas ad illos, quod postea videndum est.

9. Effectus irritandi, vel inhabilitandi sub prohibitione, vel præcepto contineri. Duobus enim modis fieri potest irritatio, scilicet, præscribendo formam essentialē, sine qua actus nō valeat, vel prohibendo omnino actum. Primus spectat ad potestatem, quam lex habet ad taxanda pretia rerum: nā eiusdem rationis sunt præscribere modum in translatione, acquisitione, vel amissione rerum: hæc autē omnia hunc percipiendū saltem modum operandi, vel prohibendo alios modos, vt declarauimus. Secundus autem modus ad prohibitionem spectat. Quia legislator habet potestatem prohibendi non solum actum, sed etiam valorem actus: vnde irritatio dici potest specialis, & quasi duplicata prohibitio, quia non tantum actum, sed etiam valorem eius prohibet, & ad idem reducit inhabilitatio personæ: nam eodem modo fit.

Dicendum ergo est, hunc effectum irritandi, vel inhabilitandi sub prohibitione, vel præcepto contineri. Duobus enim modis fieri potest irritatio, scilicet, præscribendo formam essentialē, sine qua actus nō valeat, vel prohibendo omnino actum. Primus spectat ad potestatem, quam lex habet ad taxanda pretia rerum: nā eiusdem rationis sunt præscribere modum in translatione, acquisitione, vel amissione rerum: hæc autē omnia hunc percipiendū saltem modum operandi, vel prohibendo alios modos, vt declarauimus. Secundus autem modus ad prohibitionem spectat. Quia legislator habet potestatem prohibendi non solum actum, sed etiam valorem actus: vnde irritatio dici potest specialis, & quasi duplicata prohibitio, quia non tantum actum, sed etiam valorem eius prohibet, & ad idem reducit inhabilitatio personæ: nam eodem modo fit.

10. Obijci verò potest, quia sunt quædam leges, quæ irritant actum, & non prohibent illū directè, vt dixi in lib. 2. de iuram. c. 24. Item quia prohibitio directè fit de actu possibili, ac subinde relinquuntur in absoluta potestate illius, cui fit prohibitio: irritatio autem aufert potestatem valide faciendi: ergo non est prohibitio, sed effectus alterius rationis. Sed respondetur, irritationem sub prohibitione comprehendere, siue actus omnino caueatur, siue solum statuat, ne valide fieri possit, quia saltem necesse est prohibere actū vt formaliter talem, scilicet vt matrimonium, vel testamentum, quia prohibere valorem actus, est prohibere, ne subditi possint talibus actibus vt vt validis. An verò hæc prohibitio, quando est per leges ciuiles, semper obliget in conscientia, postea videbimus. Aliter etiam potest hic effectus explicari, vt dicam in puncto sequenti.

11. Ad quæ effectum legis pertinet mutare dominia, vt fit in lege præscriptionis, &c. Ad quam dici potest etiam hunc effectum reduci ad præceptum: nam lex præcipit hunc esse dominum, & non illum: præcipit autem faciendo, quia alias non posset efficaciter præ-

cipere. Addi vero potest, probabile esse hunc effectum, & similes (licet legibus firmentur, & ideo ferendo leges fieri soleant) formaliter non fieri per legem vt lex est, quia auferre, vel dare dominium non est præcipere, sed est quasi donare, vel operari. Item quia videtur esse à potestate diuersæ rationis: nam in Principe, vel republica non solum est potestas propria iurisdictionis ad imperandum, & puniendum, sed etiam est potestas supremi dispensatoris, & administratoris bonorum reipublicæ. Lex ergo cum suis proprijs effectibus procedit à potestate iurisdictionis: transferre autem dominia, vel impedire illa, & similia pertinent ad bonorum administrationem, & ad potestatem dominij alti, quod dicitur esse in republica. Et hac potestate formaliter vtitur Princeps, quando statuit, vt per præscriptionem acquiritur dominij ab vno, & amittatur ab alio: ipse enim sua superiori potestate, & voluntate de facto conferit dominium, quod certè formaliter non est præcipere, sed agere, & quasi donare. Tamen non fit hunc præcepto, quia oportet, vt modus acquirendi lege præscribatur, & vt facta acquisitione potest firma, & illata conseruetur, & ideo hic effectus tribuitur legi, licet, vt dixi, formaliter diuersus sit, & ideo fortasse inter effectus legis, vt talis est, nō numeratur. Quæ doctrina ad effectum etiam irritandi applicari potest.

12. Quintus effectus erat de reuocatione legis, sed hic non habet difficultatem, quia reuocatio legis, non est legislatio, sed potius ablatio, sicut dispensatio legis, vel interpretatio, aut moderatio non sunt effectus legis, sed alij actus qui circa legem ipsam fiunt. Quod si interdum abrogatio vnus legis fit per aliam, tunc lex noua habebit suos proprios effectus, quos per se intendat, aut faciat: ablatio autem alterius est quid consequens, sicut generatio vnus vel corruptio alterius, vel certè si noua lex directè imperat, ne prior seruetur, nec pro lege habeatur, tunc illa abrogatio pertinebit ad prohibitionem quandam, & sub illo effectu legis continebitur.

13. Sextus effectus erat fauores concedere, & præmia conferre. Sed de fauoribus iam vidimus, ex mente Iliodori sub permissione comprehendere. Dico etiam idem esse de fauoribus, quod de priuilegijs: nam si considerentur respectu eius, cui fiunt, non sunt effectus legis, sed alterius potestatis donandi, vel dispensandi iura reipublicæ: si vero considerentur ex parte aliorum, quibus fauor ille præstandus est, vel priuilegium seruandum, sic continetur sub præcepto, aut prohibitione iuxta dicta in cap. 13. De præmio verò dixit Castro supra, sub pœna comprehendere, & subintelligi. Iuxta mentem autem Iliodori videtur sub permissione comprehendere, quia petitionem præmij ponit expressè sub permissione. D. Thomas autem non putat, hunc esse effectum legis, quia non requirit potestatem superiorem, sed potest à quolibet heri, vnde equiparat illud consilio, quod etiam non requirit legis auctoritatem, & ideo etiam non est effectus legis. Et hæc sententia mihi placet. Addi verò potest, pœnæ adiectionem esse multò frequentiore in legibus, quàm promissionem præmij, quia est, moraliter loquendo, magis necessaria; homines enim maiori ex parte prauī sunt ad malum, & suis ducuntur cupiditatibus, & ideo frequentius timore pœnæ coerceri debent. Vnde etiam iudices, & custodes legum ordinariè magis obligantur ad puniendos legum transgressores, quàm ad conferendum præmium obseruantibus illas, & propterea merito inter legis effectus, potius pœna, quàm præmium constituitur.

C A P V T X V I I I.

An viatores omnes legi subiecti sint, & illa obijgentur.

Diximus, potissimum effectum legis in obligatione positum esse, omnesq; alios in hoc vno radicari: obligatio autem essentialiter respicit aliquem cui

SVA
12

huius imponatur, & ideo ad perfectam huius effectus declaratiohem necesse est exponere, in quos cadat hæc obligatio legis, vel qui sint capaces illius. Quamvis enim supra ostensum sit, legem ad homines, & in communi, seu pro aliqua communitate ferri; non tamen declaratum est, an omnes homines sint capaces huius obligationis, vel aliqui sint quasi exempti. Quam quæstionem de lege humana in particulari tractavit D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. quia fortasse de lege in communi non putavit esse necessariam, eo quod evidentissimum sit, omnes omnino homines viatores adultos (de his enim loquimur) esse subiectos alicui legi. Nihilominus hæretici huius temporis cogunt nos, vt quæstionem hanc hoc loco in generali tractemus, in qua non inquirimus, qui homines obligentur legibus positivis, diuinis, aut humanis; imò nec qui obligentur lege naturali: hæc enim postea in particulari videbimus; vnde multò minùs inquirimus an omnes homines omnibus legibus obligentur: nam clarum est, non obligari singulos omnibus, & singulis legibus: id enim quoad leges positivas nec necessarium est, nec possibile, vt per se est notum: solum ergo inquirim⁹, an obligatio legis, vt sic, seu alicuius legis, abstracte, seu diuinctim sumptæ, ad omnes homines pertineat, ita vt nullus sit, qui iugo alicuius legis non subiiciatur.

Hæretici enim huius temporis docent iustos à iugo legis exemptos esse, & non loquuntur de lege tantum humana, vt aliqui putant: sed simpliciter de lege, vt ex eorum fundamentis manifestè colligitur. Quæ diligenter, & accuratè expendunt Petr. Canis. lib. 1. de corruptelis verbi Dei, cap. 11. Salmeron. in Epist. ad Galat. disp. 14. & Cardinal. Bellarm. lib. 4. de Iustificat. cap. 1. vbi inter alias Lutheri blasphemias sequentem refert ex quodam eius sermone: *Caveamus à peccatis, sed & multò magis à legibus, & bonis operibus, & tantum attendamus ad Dei promissionem, & fidem.* Refert etiam, ipsos in hoc constitutere libertatem Christianam, quod homo iustus liber sit à debito legis implendæ coram Deo, ita vt illi omnia opera sint indifferenta, id est, nec precepta, nec prohibita. Fundantur isti partim in erroribus suis, partim in quibusdam testimonijs Scripturæ prauè intellectis. Præcipuum fundamentum est, quia negant veram iustitiam, & necessitatem operum ad illam. Nam dicunt, homines iustificari per solam acceptationem, vel non imputationem Dei extrinsecam, quam omnis ille assequitur, qui firmiter credit, sibi esse remissa peccata, vel potius non imputari propter Christum: & hanc fidem dicunt sufficere ad salutem, quidquid homo operetur. Ex quo principio necessario sequitur, iustum, qualis ab eis fingitur, si in ea fide constas sit, non obligari vlla lege, quia quidquid operetur, credens sibi non imputari, non fit reus pœnæ, nec sibi ad peccatum imputatur. Vnde non videntur ita negare homines ligari lege, vt opera legi contraria non sint peccata: nam potius alias docent, omnia opera iustorum esse peccata, & impossibile esse etiam iustos legem Dei implere, & similia, quæ supponunt, legem obligare, & esse regulam talium operum. At ut ergo, illam obligationem moraliter quasi tolli, vel impediri per illam suam fidem, quia non facit hominem reum pœnæ, nec ratione illius opus in conspectu Dei tanquam malum reputatur, licet in se tale sit. Aliud eorum fundamentum sumitur ex falsa quadam differentia inter legem, & Euangelium, quam infra tractando de lege gratiæ expendemus. Testimonia verò Scripturarum, quibus niti se simulant, in c. sequenti expenduntur.

Veritas autem Catholica est, omnes homines viatores esse subiectos legi, ita vt teneant illi parcere, eiusque sint apud Deum, si illam voluntariè nō seruient. Cōclusio est certa de fide, definita in Conc. Trident. c. 11. & canon. 18. 19. & 20. vbi specialiter loquitur de iustis, & perfectis, quia contra hæreticos spe-

cialiter doctrinam tradebat: non tamen omittit generalem doctrinam, cum inquit, *Nemo autem quantum iustificatur, liberū se ab obseruatione mandatorum putare debet.* Si ergo nemo excipitur ab hac obligatione, omnes proflus homines in hoc mundo legibus subiecti sunt. Potestq; hoc ostendi inductione quadam. Nam homines à principio suæ creationis subiecti fuerunt legi naturali, & præterea Adam, & Eva legem habuerunt non comedendi de ligno scientiæ, etiam si essent iusti, & in statu innocentia. Præterea post peccatum, & ante Christi aduentum manifestum est, Iudæos fuisse sub lege scripta, & reliquos homines sub lege naturali (vt nunc omitamus leges humanas.) & hoc ex professo docet Paul. in Epist. ad Roman. cap. 1. & 2. ostendens tam Iudæos, quam Gentes præuaricatores fuisse legis, illos scriptæ, hos naturalis, quam scriptam in cordibus ostendebat, quædo aliqua ex parte illam seruabant. Illæ autem leges non minus obligabant iustos, quam iniustos, quia indifferenter pro omnibus positæ sunt. Et lex naturalis per se, & ab intrinseco ante, & post iustitiam, vel iniustitiam obligat: lex verò scripta à iustis incipit, nā toti illi populo fideli, in quo erat Moyses, Aaron, & multi alij iusti, data est, & prius lex circumcissionis data fuit Abraham, qui erat iustus.

Post Christi verò aduentum extra Ecclesiam non sunt iusti, & ideo de hominibus, qui omnino sunt extra illam, solum dicere possumus, Gentiles infideles teneri eadem lege naturali, quia non est dispensatum cum illis, nec aliqua gratia illis facta est. Et præterea certum est, eos teneri ad recipiendam fidem, & Christi legem. Ipsomet Christo attestante: *Omnes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. docentes eos seruare omnia, quæcumq; mandauimus vobis.* Quod verò spectat ad Iudæos, etiam est manifestum, eos obligari lege naturali, & teneri eodè præcepto, quo Gentiles ad recipiendum Baptismum ac legem Christi, quod clari⁹ expressit Marc. cap. vlt. dicens, *Predicete Euangelium omni creatura, &c. qui non crediderit, vtiq; fide viua, & per charitatem operante, condemnabitur.* Et præterea isti Iudæi, quamuis iam re vera non obligentur lege scripta, quia sublata est, tamen ex conscientia erronea illam non seruando peccant: nam Paul. *testificatur omni circumcidenti se, quia Galat. 5. debitor est vniuersæ legi faciendæ, ad Galat. 5.*

Venio ad Christi Ecclesiam, de qua peculiariter loquuntur hæretici, & in ea distinguo malos à bonis, seu iustis. De malis euident est, eos obligari lege, quædo quidem ideo mali sunt, quia legem non seruant. Dicent fortè hæretici, non ideo hos esse peccatores, quia simpliciter præcepta non seruant, sed quia infideliter ea non seruant, id est, quia dum contra illam operantur, non habet firmam fidem, quod talia mala opera sibi non imputentur, nec propter illa amittant Dei benevolentiam, & fauorem, in quo isti iustitiam ponunt. Sed refellitur facilè hic error ex verbis Christi, vbi in sententia condemnationis malorū Christianorum, non damnat illos, quia non crediderunt, nec quia transgressores præcepta, fiduciam nō imputationis, non habuerunt, sed simpliciter, quia opera misericordiæ non fecerunt, ac subinde quia legem misericordiæ, & charitatis non seruauerunt, vt ponderauit Aug. lib. de fid. & operib. cap. 15. & lib. de o. quæstionib. ad Dulcit. cap. 1. vbi plura aliq; testimonia Scripturæ hoc confirmandum congerit. Sed de hac etiam parte non oportet plura hic dicere, quia quoad hos baptizatos prauos nō negant etiam hæretici subiectionem ad legem, sed errant in modo explicandi, de quo statim aliquid dicemus, & latius in materia de Gratiæ, & de Fide.

Superest ergo dicendum de fidelibus iustis. Ex quibus quidam esse possunt baptizati tantum in voto, qui eo modo dicuntur esse de Ecclesia, seu merito, licet non numero: alij verò sunt baptizati in re, & de numero viuorum membrorum Ecclesiæ. De prioribus

D. Thom.

Hæretici iustis omnes exempti à lege. Canisius. Salmeron. Bellarm.

4.

Matth. 28.

Matth. 16.

Matth. 23.

August.

6.

bus manifestum est obligari saltem lege Baptismi, ultra obligationem legis naturalis, & fidei, spei, charitatis, & penitentia. De baptizatis autem etiam iustis, quod obligentur legibus humanis tam civilibus, quam Ecclesiasticis, & lege etiam diuina positua à Christo lata, ostendimus infra in suis locis. Nunc ergo probatur de lege diuina morali, seu naturali. Primo; quia hæc est tam intrinseca, & per se necessaria, vt auferri non possit, vt in lib. sequenti ostendemus.

7. Matth. 5.

Secundo, quia Christus illam non abstulit, imò illam stabiluit statim in initio prædicationis suæ, Matth. 5. vbi illam magis declarauit, & à corruptionibus Phariseorum, vel imperfectionibus legis Moisaicæ expurgauit, & additis consilijs, & medijs ad obseruandam illam, eam perfecit, & quodammodo auxit. Certum est autem totam illam doctrinam datam fuisse à Domino pro sua Ecclesia futura, & tamen pro iustis, quam pro iniustis: nã ad omnes dicit. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus, quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum, & quæ sequuntur.*

ibid.

Matth. 7.

Et maximè ponderandum est illud, *Intrate per angustam portam:* vocat enim aperitissimè *angustam portam* obseruationem mandatorum, quæ mandata dicit in illo principio comprehendi, *Quicumque vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis,* quod docet etiam ad Euangelium pertinere, & ad omnes, qui illud profitentur.

ibid.

8. Tertiò omnia, quæ Christus in nocte Cene docuit de obseruatione præceptorum, & præsertim charitatis, ad iustos baptizatos maximè pertinent. Iusti enim & baptizati erant Apostoli, ad quos dicebat Ioan. 14. *Si diligitis me mandata mea seruare, & infra, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ipse est, qui diligit me. & infra, Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Qui non diligit me, sermonem meum non seruat, & c. 15. Manete in dilectione mea, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. & infra Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Quæ conditionalis habet vim comminationis, & necessitatem indicat obseruandi mandata ad conseruandam charitatem: ergo iusti tenentur seruare mandata, & sine hac obseruantia iustitiam non seruabunt. Possunt infinita similia ex Scripturis adduci, sed non oportet immorari in re clara, & euidente lumine naturali, saltem quoad præcepta moralia.

10an 14. c. 15.

9. Fundamentum hæreticorum plures inuoluit errores, quos hoc loco tractare non possumus, sed in varijs locis huius operis tractandi sunt. Nam primò quòd dicunt impossibilia esse diuina mandata, supra iam reiectum est, & ex tractatu de Gratia fiet euidentius. Secundo ibidem repellitur, quod aiunt, omnia opera iustorum esse peccata, præsertim mortalia. Tertiò veram differentiam legis veteris, & notè trademus in fine huius tractatus & falsam ab hæreticis confictam impugnabimus. Quartò radicem omnium hæresum, quæ est imputata, iustitia, in materia de Gratia euellemus, ibiq; ostendemus, homines verè, & re ipsa, ac intrinsecò iustificari per inherentem iustitiam per Christum datam, & per eandem verè, & radicis remitti peccata, & non tantum tegi, seu ad penam non imputari. Vnde certum esse constabit, opera iustorum ita æstimari, & reputari, ac imputari à Deo, sicut re vera sunt. Vnde si sint bona opera, imputantur ad premium, si mala leuia, ad penam temporalem, nisi per penitentiam, & satisfactionem deleantur: si peccata grauia, ita imputari, vt ipsam iustitiam destruant, donec per penitentiam reparentur.

Fit latu fundametu hæreticorum.

10. Sapiens 14.

Fundamentum ergo hæreticorum etiam naturali lumini contrarium est, & diuina bonitati valde repugnans. Non potest enim displicere Deo peccatum, vt peccatum est: nam odio est Deo impium, & impietas eius. Item repugnat diuina iustitiæ, eo facilius remittere, vel non imputare peccata, quo maiori fiducia in ipsomet Deo sunt, quasi ipse dederit licentiam

peccandi, promittendo non imputationem eis, qui illam crediderint. Eo vel maximè quia vana, & ficta est talis promissio: nulli enim in Testamento nouo habetur magis quam in veteri: imò ait Paul. R.oman. 2. Secundum Euangelium Deum esse iudicaturum occulta hominum per Iesum Christum, vtiq; secundum legem, & veritatem, non secundum falsas hominum exiltimationes. Denique interrogo ab his hæreticis, an homines ante Christi aduentum iustificarentur in fide Christi, nec ne? Nam si negent, magnam iniuriam vniuersali redemptioni Christi inferunt, & repugnant expressis locis sacra Scriptura. *Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, sub quo oporteat eos saluos fieri.* Illum enim solum posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius teste Paul. ad Roman. 3. Si autem afferunt, semper iustificationem factam fuisse per fidem: vt consequenter loquantur, oportet vt dicant, semper factam fuisse sine lege & operibus, & per non imputationem cum sola fiducia ex parte hominum: ergo dicere cogentur, etiam iustos in statu legis naturæ, aut veteris non fuisse legi obnoxios, nec peccasse contra illam, etiam si illam transgrederebantur, dummodo id facerent cum fide non imputationis: quid ergo est, quod specialiter Euangelio attribunt? est ergo impium, & vanum tale fundamentum.

C A P V T XIX.

Explicantur aliqua Scripturae testimonia, quibus hæretici abutuntur.

Superest vt testimonia Scripturarum expendamus, quæ in fauorem sui erroris hæretici adducunt. Primum sumitur ex verbis Pauli i. Timoth. 1. *hæreticorum iusto non est lex posita.* Quæ verba aliqui volunt exponere de lege veteri, ita vt sensus sit, illam non esse positam iustis, id est, Christianis per gratiam iustè viuentibus. Quæ expositio sumi potest ex Anfelm: ibi, & ex contextu: nam Paulus monebat Timotheum, vt corripere quosdam falsos Doctores, qui falsam doctrinam de lege tradebant, & ideo ipse subdit, bonam esse legem, vtique scriptam, illam tamen non esse imponendam iustis, quia non est iusto posita. Sed expositio non satisfacit: tum quia licet si verum. Paulum loqui de lege scripta diuina, tamè sententia eius de se vniuersalis est, & eandem rationem habet in omni lege, vt constabit. Tum etiam, quia per iustum non possumus intelligere solos iustos legis Euangelicæ, sed absolutè iustos, etiam qui fuerunt, quando lex illa lata est. Nam Paulus absolutè loquitur de iusto, distinguendo illum ab iniusto, & transgressoribus. Ex illa vero sententia sic intellecta nihil possumus hæretici colligere, quia negare non possumus, quin lex vetus obligauerit iustos illius populi, pro quo lata est: ergo verba illa, *Iusto non est lex posita,* non possumus habere hunc sensum, id est, non obligant iustum. Imò ad hominem argumentari possumus contra eosdem nouos hæreticos: quod necesse sit, vt fateantur legem esse impositam tali iusto, qualem ipsi confingunt, quia ille potest esse fornicarius, & periurus, & c. & tamen Paulus ait, huiusmodi hominibus legem esse positam.

Quid ergo est, iusto non esse legem positam? Communis expositio scholasticorum est, intelligi de lege, non quoad vim directiuam, sed quoad coactiuam: nam lex posita est ad obligandos etiam iustos, non tamen ad cogendos illos, quia illi non indigent coactione. ita D. Thomas d. q. 96. art. 5. ad 1. & ibi Caiet. Soto, & omnes. Soto etiam lib. 3. de natura, & grat. cap. 1. Veg. lib. 11. in 1. rid. cap. 8. Salmerò disp. 2. epist. 1. ad Tim. 1. Bellarmin. lib. 3. de peccato primi hominis, cap. 1. Dicit aliquis: ergo si iustus ageret contra legem, non incurreret penam legis, quandoquidem vis coactiua legis non cadit in illum, sicut Princeps agens Obditio.

R.oman. 2.

R.oman. 3.

Obditio iusto non est lex posita. ex 1 ad Timoth. 1.

Alij qui exponunt locu Pauli de lege veteri, quæ iustis, id est, Christianis posita non est.

Excludit expositio.

Legem non esse positam iusto quoad vim coactiuam, est tamen quoad directiuam.

conuenit est expositio. D. Thom. Caiet. Soto. Veg. Salmeron. Bellarmin. agens Obditio.

SVA
12